

sexcenti viri, qui secuti fuerant de Geth. Aut zertè Hebræus appellatus est, quia ibi aliquod facinus edidit illustre. Quo modo Scipio vocatur *Africanus*; Marcus, *Coriolanus*; Marcellus, *Cretensis*; quia in illis locis præclara sui nominis monumenta reliquerunt.

Alterum, Uriam, licet justus fuerit, et David in hoc opere crudelis, turpis et injustus; tamen illum in hoc ipso facto figuram esse peccatoris, hunc verò Dei, in quo summa est honestas, summa justitia. Ita hic latè sentit, et disputat Angelomus. Tenet Glossa, Gregorius l. 3 Moral. cap. 21; Isidorus l. 2 Reg. c. 1; Dionysius hic, Rupertus l. 11, de divinis Offic. c. 1, et in l. 2 Reg. cap. 34. Est autem certum, homines malos etiam in actione non bonâ, rerum sanctissimarum, atque ad eò ipsius etiam Dei esse figuram; et contra, bonum in re etiam non malâ figuram esse rei non bonæ, imò ipsius diaboli. Contrarium senserat ante Hieronymus in cap. 45 Isaïæ, et in cap. 10 Oseæ, et in cap. 12 Ezech., sed mutavit postea sententiam epist. 131 ad Rufinum, ubi ait, duas filias Loth et duas uxores Oseæ significare utrumque Testamentum: et Loth, et Oseam in eo etiam actu, in quo uxores et filia figuræ fuere Synagogæ, Christi fuisse typum. Idem putat Augustinus l. 22 contra Faustum Manichæum, et adducit incestum concubitu Loth cum duabus filiabus, et Judæ cum Thamar. Et Gregorius lib. 3 Moral. cap. 21, ubi fusè tractat hoc exemplum Davidis et Uriæ. Theodoretus dialogo 3, Beda in quæst. super lib. 2 Reg. cap. 1.

Quid porrò significet typicè hoc Davidis opus, explicare hi fermè omnes hoc modo. Primum in Davide, qui *desiderabilis*, aut *amabilis* sonat. Christus exprimitur. Ut enim David ex solariorum vidit Bethsabæ se lavantem, quam accersivit ad se ereptam ab Uriâ priori conjugè, sic Christus quasi in solariorum deambulans, quia *in sole posuit tabernaculum suum*, adamavit Ecclesiam super tectum se lavantem, id est, mundantem se à sordibus seculi et domum luteam spiritali contemplatione transcendente atque calcantem: et inchoatâ cum illâ primæ conventionis notitiâ, postea ab eâ penitens separatim diabolam occidit, eamque sibi perpetuo connubio copulavit. Ita fermè Beda, et paulò aliter Gregorius, Isidorus, Angelomus. Gregorius in Uriâ populum etiam intelligit Judæum, quem Deus cum litteris mittit, quæ illum violatæ religionis, et proditæ fidei accusant, et damnant: « Urias, in-

quit, ad Joab cum epistolis, ex quibus occidi debeat, mittitur. Quia idem ipse Judæus populus legem portat, quâ convincente moriatur. Dum enim mandata legis retinens implere renititur, ipse nimirum defert iudicium, unde damnatur. Quid ergo per factum istud David scelestius? Quid Uriâ mundius dici potest? Sed rursus per mysterium, quid David sanctius, quid Uriâ infidelius inventur, quando et ille per vitæ culpam prophetiæ signat innocentiam; et iste per vitæ innocentiam in prophetiâ exprimit culpam? Hoc posterius docet S. Thomas in præfatione ad epistolas canonicas, ubi litteras et doctrinam in litteratis hominibus, qui tamen illas ad morum emendationem non conferunt, litteras appellat Uriæ. « Istæ, inquit, sunt epistolæ, sive litteræ Uriæ, de quo loquitur l. 2 Reg. c. 11, quod portavit litteras mortis suæ. Litteras mortis suæ portant viri litterati, qui sciunt, et docent, et non faciunt. Istæ sunt litteræ sine sigillo, id est, scientia sine vitâ. » Et statim: « Istæ litteræ in peccatoribus sunt scriptæ, Jeremia c. 17: *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, ungue adamantino exaratum, etc.* » (1)

(1) VERS. 15. — PONITE URIAM EX ADVERSO BELLi. Ubi hic David, eâ animi clementiâ princeps, ut adversario suo Saûli parceret, cum ille tradente Numinis providentiâ in manus suas devenisset? Quantam in viro mutationem fecit turpis et vitiosa libido? Heu quam facile, si semel errare cœperis, è scelere in scelus ruis! Quid causari poterat David, ut fidelissimi hominis vitam discrimini exponeret, cujus præsentia liberatus, commodius impiæ libidinis satisfaceret? Quam gravis autem criminis reus est Joab, iniquæ ad eò jussioni obtemperans, si veras illius causas non ignorabat? Heu! quam verè Tacitus scripserat: *Proprium humani ingenii est odisse quem læseris!* Facere non potuit David, ut præsentem sibi deinceps intueretur hominem, quem grandi ad eò injuriâ læserat. (Calmet.)

Mettez Urie à la tête de vos gens, où le combat sera le plus rude, et donnez ordre qu'il soit abandonné, et qu'il y périsse. On voit ici clairement de quelle manière le vice transforme les hommes en quelque sorte, et comme il éteint dans leur cœur tous les sentiments, non seulement de la piété, mais même de la raison et de l'humanité naturelle. David n'est pas reconnaissable en cette rencontre. Il sait qu'Urie est un serviteur très-fidèle; il est persuadé de son grand courage. Il voit de ses yeux son attachement opiniâtre à son devoir, et il éprouve que tout roi qu'il est, il n'a pas assez de pouvoir sur son esprit pour lui faire rien relâcher de cette humeur guerrière dont il est possédé, et qu'il est résolu de vivre parmi les délices de la cour comme dans le camp. Cependant David, au lieu de récompenser de si

grandes qualités, s'en sert pour le perdre. Il le traite comme un criminel, parce que sa générosité ne lui a pas permis de faire ce qui aurait pu couvrir le crime de ce prince; et il le punit pour avoir été trop chaste, au lieu de se condamner lui-même de ne l'avoir pas été assez. Il ne se contente pas de lui avoir ravi l'honneur, il lui ôte la vie, et il expose ses gens à la fureur de ses ennemis, pour l'envelopper dans cette défaite.

Après cela, qui ne reconnaîtra que les hommes, quelque saints qu'ils soient, sont toujours hommes; que tout ce qui paraît de grand dans eux dépend uniquement de celui dont ils l'ont reçu, et que si Dieu retire tant soit peu sa main toute-puissante qui les soutient, ils sont capables de se précipiter dans des désordres dont la seule pensée leur aurait auparavant causé de l'horreur? Il se trouve quelquefois des personnes, selon la remarque de saint Augustin, à qui le vice a tellement renversé l'esprit, qu'ils se servent de l'exemple de ce saint pénitent, non pour imiter sa conversion, mais pour pécher avec plus de hardiesse. Cependant, ajoute ce saint, l'Écriture nous propose David en sa chute, non comme un exemple du péché, mais comme un modèle de la pénitence. David non peccandi forma, sed penitendi. Si vous aimez le péché, continue ce saint, parce qu'il s'est trouvé dans David, vous aimez en lui ce qu'il y déteste.

Il n'y a que le démon qui nous puisse dire: Ne craignez pas de pécher; David lui-même a péché, puisqu'il est certain que toutes les grandes qualités de ce saint prophète n'auraient nullement excusé sa faute, et que si Dieu ne l'avait tiré de cet abîme, il se serait perdu éternellement. Mais nous devons écouter plutôt la voix de David, qui nous dit en quelque sorte par ses soupirs et par ses larmes: Fuyez l'écueil où je suis tombé. Haïssez les crimes qui ont tué mon âme, et aimez la pénitence qui m'a guéri. Tremblez devant Dieu. Humiliez-vous comme j'ai tâché de faire sous sa main puissante, dans tous les maux qu'il pourra vous envoyer, et espérez en sa bonté, puisque la miséricorde qu'il m'a faite vous doit être un gage de celle qu'il vous veut faire. (Sacy.)

VERS. 16. — POSUIT URIAM IN LOCO, UBI SCIEBAT VIROS ESSE FORTISSIMOS. Addit Joseph, Joab Uriæ commendasse fidem et strenuitatem, ut usque ad mortem pro Davide et Israele pugnaret, ac socios Uriæ secretò monuisse, ut eum in pugna desererent, atque ab hostibus cingi cædique permitterent. Quid hæc re magis proditorum aut scelestum dici fingique potest? Porrò S. Hieron. lib. 4 contra Jovinianum, asserit Davidem propter homicidium Uriæ à Deo prohibitum adificatione templi, sed graviore ejus poenâ audiendus cap. seq. (Corn. à Lap.)

VERS. 17. — ET MORTUUS EST ETIAM URIAS. Ecce hic consummatum Davidis ingrati homicidium, cujus indignitatem graphicè dépingit et exaggerat Abulensis: hic quæst. 5 in cap. 12. Porrò permisit Deus tam graviter labi Davidem, primo, ut eum humiliaret, ut scilicet ipse sciret se, licet per gratiam esset sanctus propheta et psalmographus, tamen per naturam esse hominem fragilem et proclivem in peccata, uti sunt cæteri. Unde ipsi id ipsum jam lapsus confitetur in Psal. 50: *Ecce, inquit, in iniqui-*

VERS. 12. — QUIS PERCUSSIT ABIMELEC FILIUM JEROBAAL(1)? Attulit Urias litteras doli plenas ad

tatibus conceptus sum, et in peccatis concepti me mater mea. Secundò, ut in ejus lapsu et erectione Deus suam justitiam æquè ac misericordiam ostenderet; justitiam in peccati castigatione, misericordiam, in culpæ condonatione; sicut quò major est morbus vel vulnus, eò major medici curantis peritia et efficaciam ostenditur, ait S. Chrysost. in Psalm. 50. Tertio, ad aliorum exemplum, ut omnes à Davide lapsi discant cavere lapsus occasiones, ac præsertim incautos feminarum aspectus. Audi S. Ambros. Apol. 2 David cap. 3: « Non te vineat concupiscentia formæ, si non vis vinci; non congregiare peccatis, ne de te vitia coronentur; neque captaris oculis, neque abripiaris palpebris. Vilis tibi mulier videtur ad pretium, sed fortis ad vitium, quæ virorum pretiosas animas capit. » Probat id ex Proverb. cap. 6: « *Ligabit quis ignem in sinu, vestimenta autem non comburet? vel ambulabit quis super carbones ignis, pedes autem non comburent? Cave ergo et tu, ne intra sinum tuæ mentis ignem libidinis et amorem accendas.* » Et inferius: « Si David infirmus, tu fortis? si Salomon lapsus est, tu immobilis? Si Paulus primus peccatorum, tu potes primus esse sanctorum? » Quarto, ut, si nos labi contingat, non desperemus, sed cum Davide penitendo resurgamus, ac lapsus sit nobis stimulus ad majorem rigorem et virtutem. Unde S. August. homil. 21 inter 50: « Multi, ait, cedere voluit cum David, et nolunt surgere cum David. » etc. « Audiant, qui non ceciderunt, ne cadant; audiant qui ceciderunt, ut surgant. Peccatum cum desperatione certa mors, » etc. Et S. Prosper lib. 2 de Prædict. cap. 26: « David, ait, positus est in exemplum fidelibus, ut discant magis timere prospera quam formidare adversa. Periculosum enim est animam dimittere voluptatibus suis, dicente Domino: *Ecce quem diligo castigo.* » Proverb. 3, 10. Apoc. 3, 19.

Vide S. Ambros. in duabus Apologiis quas pro Davide conscripsit, ubi priore lib. cap. 2, sic ait: « Sancti sicubi fortè ut homines corruerunt naturæ magis fragilitate quam peccandi libidine; acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina, ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse. » Et nonnullis interjectis: « Propositi enim ad imitandum nobis sunt, et ideò curatum est, ut et ipsi aliquando laberentur. Nam si inoffensum à vitii inter tot lubrica hujus seculi curriculum peregissent, dedissent nobis occasionem infirmioribus æstimandi, cujusdam superioris naturæ ac divinæ fuisse, ut delictum recipere, et culpæ consortium habere non possent. » Unde post pauca concludit: « Præterit igitur paulisper illos Dei gratia, ut nobis ad imitationem vita eorum fieret disciplina, et sicut innocentia, ita et penitentia magisterium de eorum actibus sumeremus. Ergo dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infirmitatis agnosco; dum credo consortes, imitandos esse præsumo. » (Corn. à Lap.)

(1) ABIMELEC FILIUM JEROBAAL, vel Gedeonis;

Joab, quas cum ille accepisset, statim juxta regis præscriptum, illum eo loco constituit unde certissima videbatur proponi moriendi necessitas; neque pauci cum illo ceciderunt, quibus potior fuit honesta mors, quam ignobilis fuga. Docet autem Josephus, inimicorum impetum penè solum Uriam excepsisse, et illorum interemisse non paucos, donec circumventus cum aliis paucis non inultus occubuit. Successus illius adversi et acceptæ plagæ nuntium misit Joab ad regem, quem admonuit, ut si gravius rex accipere videretur temerarium assultum, et accessum ad murum, adderet Uriæ cædem, quâ sciebat temperandum esse dolorem aut iram, si quam rex ex acceptâ plagâ concepsisset. Nota est historia Abimelech filii Gedeonis, qui etiam vocatur Jerobaal, quomodò, quia studio pugnandi, dum audaciùs accedit ad murum, percussus molari lapide à feminâ, subiit exitium. Hanc historiam habes Judic. c. 9, quam cognitam fuisse oportet iis qui militiæ dant operam, præcipuè illis qui præsumunt, qui ab interitu Abimelech magnum habent et familiare documentum.

VERS. 25. — NON TE FRANGAT ISTA RES: VARIUS ENIM EVENTUS EST BELLII. Non fefellit Joab sua cogitatio: nam audito Uriæ casu minùs commotus fuit rex, quàm deberet, imò quàm tulisset, nisi turpis amor et studium celandi flagitii regium ademisset aut turbasset spiritum. Quare ægrè non fert suorum cædem, quorum debuit providere salutem; non Israelitici nominis dedecus, quod subierunt, qui ad regis præscriptum ignobili fugâ in medio conflictu deseruerunt Uriam moriturum. Hæc non curabat is, ex cujus animo libido et metus consilium expectorârât et mentem: imò potiùs probat factum Joab, jubetque illum bono esse animo, neque existimare inusitatum esse, ut qui secundâ plerùmque est usus, aliquando adversam experiatur fortunam. Hæc est enim bellorum natura, ut modò in hanc, modò in illam partem inclinet victoria. Neque desperet de meliori eventu, etiam dum bellicis urgetur incommodis, et exultantes victoriâ spectat adversarios.

utrumque enim nomen idem ipse vir obtinebat. Textus Hebræus pro *Jerobaal* legit *Jerobeseth*; abstinebant enim Judæi, ne efferrent nomen Baal, quod profani numinis memoriam revocaret, substituebantque nomen *Beseth*, quod sonat confusionem, infamiam, ignominiam. Miphiboseth, et Isboseth genuino nomine appellabantur Miphibaal et Isbaal, eamdem metamorphosim passi ac *Jerobeseth*. (Calmet.)

VERS. 26. — AUDIVIT AUTEM UXOR URIÆ, QUOD MORTUUS ESSET URIAS VIR SUUS, ET PLANXIT EUM. An lacrymas expresserit dolor, vel artificium aliquod, quale notum est, et familiare mulierculis, quæ lacrymas vendunt, et licet multum ac diù plorent, nunquàm tamen siccantur lacrymarum scatebræ, non faciliè statures. Nam sicut David non videtur ex Uriæ interitu dolorem cepisse, quia sic putabat celari posse immane flagitium, et dignitati suæ fuisse consultum, sic etiam quia illud idem assequabatur, conjuge sublato, Bethsabæe, sperabatque fore, ut eo impedimento submoto, ad regium thalamum ascenderet. Non est incredibile, minùs illi conjugis cædem dolori fuisse, quàm pudicam deceret et amantem viri. Dolere se in Pompeii morte simulabat Cæsar, et ad gemitus addebat quoque lacrymas; sed neque dolebat, nec lacrymabatur seriò, sed simulatò, cum potiùs exultaret animo, cum videret esse nullum, qui ipsi viam ad imperium obstrueret. De quo verè Lucanus:

*Lacrymas non spontè cadentes*

*Effudit, gemitusque expressit pectore læto.*

Quidquid verò sit, planxit virum suum, id est, parentavit, aut funebres honores impendit, qui vitâ defunctis à conjugibus et aliquâ necessitudine conjunctis debentur. Planctus autem et luctus externus ille habitus est, et funeris impendium, quo vivi suam in mortuos pietatem et amorem ostendunt, quales vestes atræ et sordidæ, decalvatum caput, funereæ faces, et publicus atque domesticus fletus, etiamsi procul ab animo dolor absit. Sic Hieronymus, epist. 25 ad Paulam: « Planctus, » inquit, magnus non in plangentium exanatione, sed in pompâ funeris et exequiarum frequentia intelligendus est. » Denique De Jacob Scriptura sic loquitur: *Et ascendit Joseph sepelire patrem suum, et ascenderunt cum eo omnes pueri Pharaonis, et seniores domus ejus, et seniores omnis terræ Ægypti, et omnis domus Joseph et fratres ejus. Et post paululum: Et ascenderunt cum eo quadrigæ, et equites, et facta sunt castra grandia nimis. Ac deinde: Et planxerunt eum planctu magno et forti nimis. » Planctus iste solemnus non longas Ægyptiis imperat lacrymas, sed fœneris monstrat ornatum. » Hæc Hieronymus, qui Ægyptiorum exemplo satis probat, in quo maximè funereus ille planctus consistat. Neque enim Ægyptii habebant, cur tantoperè in peregrini, nequedum sibi cogniti hominis obitu dolerent ac lamentaren-*

tur. Neque vicini populi, qui Ægyptiorum multitudinem procul spectabant, aut audiebant gemitus, aut videbant lacrymas; sed quia accensas videbant faces et pullulatam pompam, quia hæc erant legitima parentalium signa, dixerunt Gen. c. 5, v. 11: *Planctus magnus est iste Ægyptiis*. Hunc ego planctum impensum arbitror Uriæ à Bethsabæe, licet gemitum et lacrymas intercessisse putem.

VERS. 27. — TRANSACTO AUTEM LUCTU, MISIT DAVID, ET INTRODUXIT EAM IN DOMUM SUAM. Postquam data est viro funebri opera, et impensum illud pietatis et fidei conjugalium officium, quia jam expetitis nuptiis à lege, seu consuetudine nullum opponeretur impedimentum, induxit David in domum suam Bethsabæe, et habuit uxorem. Planctus autem ille, ut opinor, septemdiarius fuit: nam licet in aliquos principes productus fuerit ad spatium temporis longius planctus ille, ut in funere Aaron, cui impensum fuerunt dies triginta, Num. 20, v. 30, et totidem Moysi, Deut. 34, aliis quasi legitimum planctus septem dierum fuit. Sic Jacobum septem diebus honorario planctu prosecuti sunt Ægyptii in terrâ Chanaan, licet in Ægypto in ejus parentalibus dies multò plures consumpti sint. Et hunc septemdiarium luctum esse legitimum docet illud Eccl. 22, v. 13: *Luctus mortui septem dies; satui autem, et impiis omnes dies vitæ illorum*.

PEPERITQUE EI FILIUM. Illum nempe, quem ex adulterio conceperat. Unde colligitur non duras planctum per annum, aut longum tempus, quando puer multò ante conceptus natus est in domo David.

ET DISPLICUIT VERBUM HOC, QUOD FECERAT DAVID CORAM DOMINO. In verbo hoc illa intelligo, quæ Dei nomine sequenti capite Davidi exprobravit Nathan, quia alienum thalamum adulterino violavit concubitu; quia occidit innocens.

#### CAPUT XII.

1. Misit ergo Dominus Nathan ad David; qui cum venisset ad eum dixit ei: Duo viri erant in civitate unâ, unus dives et alter pauper.

2. Dives habebat oves et boves plurimos valdè;

3. Pauper autem nihil habebat omninò præter ovem unam parvulam, quam emerat et nutrierat, et quæ creverat apud eum cum filiis ejus simul, de pane illius comedens et de calice ejus bibens et in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia.

centem Uriam; quia ejus uxorem sibi conjugali vinculo sociavit. Sic autem Dei nomine Nathan ad Davidem c. 12, v. 9: *Uriam Hethæum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi*.

Ex hoc, opinor, loco conjectârunt Hebræi, in concubitu Davidis cum Bethsabæe ante Uriæ mortem nullum fuisse peccatum, quia cum Uriæ cædem, et cum illius uxore conjugium exprobrat Nathan, illius tamen siluit adulterium: illud verò factum hæc ratione à turpitudine atque peccato liberant, quia euntes, inquit, ad bellum, in quo mors ubique præsens occurrat, libellum repudii dant uxoribus, quo permittunt, ut, cuicumque velint, suo arbitratu nubant, cum solutæ jam sint à matrimonii lege. Atque ideò optimè potuit David cum Bethsabæe jam omninò suâ legitimum habere congressum. Hanc Hebræorum cogitationem multis modis confutat Abulensis q. 8. Primùm, quia si semel uxorem dimisisset solemni formâ cum libello repudii, non posset iterùm ad illam redire, ut constat Deut. 24, v. 2, si repudiata alterius nuptias iniisset. Quare necesse erat, ut omnes, qui reverterentur à bello, nisi mallent vitam agere cœlibem, novas ambirent conjuges. Quòd si propter periculum mortis eo uterentur consilio, ut si marito mori in acie contingeret, ipsa posset alium sibi conjugem asciscere, frustra libellus ille porrigebatur uxori, cum viro mortuo, nulla illi jam imponebatur necessitas non nubendi alteri, cum alterius obitus omnia matrimonii vincula dissolveret. Neque Bethsabæe uxor unquam diceretur Uriæ, ex quo ad bellum processit; neque solemni ritu planxisset mortuum; neque jussus esset Urias à David, ut ad domum suam diverteret, et se cum uxore interim oblectaret. Vide plura apud Abulensem supra; sed in re usque adeò ludicrà plus à nobis satis.

#### CHAPITRE XII.

1. Le Seigneur envoya donc Nathan vers David, et Nathan, étant venu le trouver, lui dit: Il y avait deux hommes dans une ville de votre royaume, dont l'un était riche et l'autre pauvre.

2. Le riche avait un grand nombre de brebis et de bœufs;

3. Le pauvre n'avait rien du tout qu'une petite brebis, qu'il avait achetée et nourrie avec grand soin, qui avait crû parmi ses enfants, mangeant de son pain, buvant dans sa coupe et dormant sur son sein; et il la chérissait comme sa fille.